



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. LXIV. De Morte Pomeranorum plurium & Pruthenorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

## CAP. LXIII.

De

*Devota vita Fratrum de Christburg.*

**I**N hoc castro Christburg fuerunt DEO devoti & miri tam abstinentiæ regularis quam observantiæ Sectatores, & cum hoc strenui milites in bello, ita ut verè posset de ipsis dici, quod in domo Monachalem, & in campovitam ducerent militarem. Inter hos fratres fuit quidam dictus de Glisberg, qui tantæ fuit sanctitatis, quod in die Parasceves, dum divinum officium in Ecclesia ageretur, & more solito geniculando se inclinaret ad crucem osculandam, imago crucifixi lignea elevans se extendit brachia sua, volens eum circundando brachiis amplecti, quo se idem frater indignum aestimans ait: Non decet te Domine, quod tu inutilem peccatorem amplectaris. Fuit & quidam alius frater, qui circa cutem suam nudam catena & grossa & ferrea continuè usque ad mortem suam pro nocturnali cingulo utebatur.

## CAP. LXIV.

De

*Morte Pomeranorum plurium &  
Pruthenorum.*

**Æ**Dificato castro Christburg turbati sunt insipientes corde, Neophyti & Svantepolcus, & continuaverunt unanimiter, quomodo ipsum dejicerent & delerent, impugnationem modis attentantes. Tandem fecerunt inter se mutuam conspirationem, ut simul obsiderent castrum Christburg: nec recederent ab obsidione, quousque terræ alteri coaquaretur. Congregati

*Conradus Landgr. Thuring. V. Mag. Gen. Ord. Tent.  
Henricus de Wida III. Mag. Provincialis in Prussia.*

ti ergo Prutheni cum magno exercitu, præmiserunt multos armigeros, qui currus & quadrigas ducentes victualia & arma custodirent, quos præmissos invaserunt fratres in prælio & omnes occiderunt, currus & quadrigas ad castrum suum deducentes. Quo percepto, Prutheni indignati ad propria redierunt. Sed Svantepolcus cum exercitu suo venit ad castrum Santirium, ibique castra metatus est, & præmisit multos milites & armigeros, qui utrum castrum Christburg obsessum esset diligentius explorarent, quos milites invaserunt & fratres de Christburg, & occisis pluribus ex eis, alii fugientes cum clamore valido venerunt ad exercitum Domini sui Svantepolci. De quo idem exercitus Pomeranorum tantum territus fuit, quod omnes terga vertunt. Quo viso, fratres sequebantur eos, & quosdam occiderunt, aliquos ceperunt, sed Dux cum paucis navigio vix evasit. Sicque Svantepolcus devictus, quia tota virtus exercitus sui fuit enervata, à modo conquievit.

CAP. LXV.

*De*

*Conflictu in Nattangia ubi LIV. fratres cum multis Christianis fuerunt occisi.*

POSTquam maledictionis iste filius Svantepolcus opposuit se fratribus, & Neophytos terræ Pruschiæ ad Apostasiam fidei incitasset, non patebat via secunda nec per terram nec per aquas ad partes inferiores, nec è converso, Anno Domini MCC. XLIX. mortuo Landgr. Sio, Wilhelmus Comes Hollandiæ electus fuit in Regem Romanorum. nisi in gravi multitudine pugnatorum. Unde Magister justos fratres & armigeros misit,

X 3

lit,